Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Marcus

sua et alia duxit adulau omisit super ea et si vxor dimisit
virum et alij inpsertis mechat. Et offerebant ei parvulos ut
tangeret eos Discipuli autem comminabant offerentibus Quos cum vi
disset iesus indignatus est et ait illis Sinite ad me parvulos
venire et ne prohibueritis eos. Talium est enim regnum celorum Amen dico
vobis Quicumque non receperit regnum dei velut puerulus non intrabit in illud
et complexans eos. et imponens super eos manus benedicebat
eos. Et cum egressus esset in viam procedentem quidam genuflexus ei
eum rogabat eum dicens Magister bone quid faciam ut vitam eternam
vitam percipiam Iesus autem dixit ei Quid me dicis bonum nemo
bonus nisi solus deus. Precepta nosti. Ne adulteres. Ne occidas
Ne furaris Ne falsum testimonium dixeris Ne fraudem feceris.
Honora patrem tuum et matrem tuam At ille respondens ait illi
Magister. Omnia hec obseruauj a juuentute mea Iesus autem intuens eum
dilexit eum et dixit ei Vnum tibi deest. Vade quecumque habes vende
et da pauperibus et habebis thesaurum in celo. et veni sequere
me Qui contristatus in verbo abiit merens. Erat enim habens
multas possessiones Et circumspiciens iesus ait discipulis suis
Quam difficile est qui diuitias habent in regnum dei intrare Discipuli autem obstupebant in verbis eius At iesus rursus respon
dens ait illis filioli quam difficile est confidentes in pecunijs
in regnum dei intrare facilius est camelum per foramen acus transire
quam diuitem intrare in regnum dei Qui magis admirabant
dicentes ad semetipsos Et quis potest saluus fieri Et intuens illos
iesus ait illis Apud homines impossibile est sed non apud deum
Omnia enim apud deum sunt possibilia Et cepit ei petrus
dicere Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te Respondens
Iesus ait Amen dico vobis Nemo est qui reliquerit domum
aut fratres aut sorores. aut patrem aut matrem. aut filios. aut agros
propter me. et propter euangelium qui non accipiat centies tantum nunc
in tempore hoc domos et fratres et sorores et matres et patres et
filios. et agros cum persecutionibus et in futuro seculo vitam eternam
Multi autem erunt primi nouissimi et nouissimi primi Erant
autem in via ascendentes Hierosolima et precedebat eos Iesus et stupebat